





1723,9

10

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
IO. PHILIPPUS

Streit / I. V. D.

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS
MOGUNTINI CONSILIARIUS
REGIMINIS

L. B. S.

ERFORDIÆ,
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

1723 (9) 10

FACULTATIS JURIDICAE
DE
IO. PHILIPPUS
SACRI S. C. A. C. S. V. D.

EMILII PRINCEPS-BLITZ
MAGISTRUM
RECTORIS
V. D.

IN
V. D.





Inor ætas sæpe infirma est viribus,
invalida ingenio, immatura con-
silio, rationis inopiâ & naturæ
imbecillitate facile errare potest,
insuper multis captionibus sup-
posita, multorumque insidiis ex-
posita *L. 1. ff. de minor. 25. an.* hinc jura minoribus
sæpissimè succurrunt, sive læsi sint in contractu, sive
distractu, sive in materia ultimarum dispositionum,
siue in judicialibus, siue in aliis actibus. In contra-
ctibus, veluti si minor emit aliquid, si vendidit, si so-
cietatem iniiit, si mutuam pecuniam accepit, & captus
est *L. 7. in pr. L. 2. & tit. cod. si adversus vendit. L. pa-
tri 27. §. si pecuniam L. pen. ff. de minor. 25. an.* imò
adversus venditionem neglectam & adversus licitatio-
nem ei succurritur. *L. si in emptionem 33. ff. d. t.* item
adversus donationem *L. 2. & tit. tit. cod. si advers. do-
nat.* item adversus dotem, si minorennis immodi-
cam dotem dederit. *L. 9. ff. in dotis l. d. t. L. unic.*

X 2

cod.

cod. si advers. dot. vel si pactum dotale sibi damnosum fecit *L. minor. 48. §. fin. d. t. de minor. 25. an.* in variisque aliis eidem succurritur. Item in distractibus, veluti adversus solutionem, si minor indebitum solvit ex ea causa, ex qua jure civili non datur repetitio *L. illud. 25. ff. d. t. L. 2. cod. si advers. solut.* item si quid inconsulto in solutum detur *L. minor. 40. d. t.* plures casus in quibus minori læso succurritur recenset MANZ. *ad d. tit. de minor. 25. an.* Ut verò securiori loco res minorum essent, & non tantum actionibus personalibus in tutores & curatores suos, sed potius realibus in res ipsas agerent, prohibiti sunt tutores & curatores prædia rustica & suburbana eorum distrahere absque decreto prætoris, causâ cognitâ, interposito. *L. 1. ff. de reb. eor. qui sub tut.* Idem cautum fuisse de mancipiis rusticis testatur Constantinus *in L. 22. cod. de administr. tutor. vel curat.* Ubi hoc jus produxit ad prædia mancipiaque urbana, nec non ad quasunque res mobiles, quæ servando servari possunt. Ratio introducti hujus juris est ex parte fragile & infirmum minorennis ætatis consilium. Ex parte etiam levitas tutorum curatorumve, & imprudens eorundem circa minorum bona administratio, qui quid utile futurum nociturumque pupillo sit, parum consideratè sæpe perpendunt, propriis contra commodis promovendis magis intenti. Insuper Reipublicæ interest, ut minorum bona facta testata conserventur; quorum alienatio si ipsis permetteretur, futurum esset, ut patris opes paternæ brevi subverterentur, ut non haberent unde se honestè sustentare possent, inde arrepturi occasionem patriam turbis involvendi.

Non

Non obstat, quod quisque sit rei suæ moderator & ar-
bitrator *L. 2. ff. de his qui sui vel alien. jur. sunt.* & quod
nihil tam conveniens sit naturali æquitati, quam vo-
luntatem Domini rem suam in alium transferre vo-
lentis ratam haberi. §. 20. *inst. de Rer. divis.* adeo ut
hæc prohibitio iniquitatem quandam præ se ferre vi-
deatur, præsertim cum liberrimam disponendi de re-
bus suis facultatem à natura hominum generi con-
cessam tollat, & dominio ferè excidere faciat.
Quamvis etiam in *L. 2. ff. si à parent. quis manumiss.*
expressis verbis asseratur, quod iniquum sit ingenuo
homini (quales hic sunt minores) liberam rerum sua-
rum administrationem auferre; insuper sæpe fieri
possit, ut minor multò dexteriori ratione rebus suis
præsit, quam viginti quinque annis major, ideoque
ratio legum cesset, id, inquam, non obstat, non enim
cessat universaliter, nec in casu particulari contrariè,
ac præterea nulla subest iniquitas; & supereminens
dominium, quod Reipublicæ competit, in bona suo-
rum subditorum se extendit, præsertim si salus publi-
ca, quæ suprema lex est, id exigat. Dicta adeo pro-
cedunt, ut etiam ille qui sciens rem minoris absque
decreto emit, non possit eam usucapere, est enim
possessor malæ fidei *L. 1. in pr. cod. si quis ignor. rem mi-
nor esse sine decret. compar.* secus se habet, si ignorans
bona fide emat, & usucapio post minorem ætatem
inchoata fuerit. Confirmatur tamen aliquando alie-
natio absque decreto sciente vel ignorante minore
facta, si is major factus illam expressè approbaverit,
aut tacitè ratam habuerit. *L. 2. Cod. si major factus alie-
nat fact. sine decreto ratam habuer.* censetur autem ta-
cité

cité ratam habuisse, si eam non revocaverit toto quin-
quennio, ex quo major factus est, si res titulo one-
roso alienata sit, aliás titulo lucrativo facta alienatio
non nisi silentio decem annorum inter præsentés, &
viginti inter absentes, confirmabitur, computatione
factá, á die quo dominus rei donatæ est major factus.
L. si quando. ult. d. tit. quam legem publicè ex cathe-
dra explanabit

Nobilissimus & Clarissimus Dominus

**GODOFREDUS WILHELMUS
JUMPELT,**

Advocatus immatriculatus Dresdæ,

in lucem editus Apollensdorffii, prope Vitembergam
in Saxonia, Mensè Aprili 1685. Patre Dn. M. CHRIS-
TIANO JUMPELT, Pastore olim Apollensdorffii,
deinde Niemeccensi, viginti & sex abhinc annis p.
defuncto. Matre SIDONIA, natá *Fischerin*, quam
Sanctissimum Numen adhuc superesse voluit. Paren-
tum optimorum, ut primum per ætatem teneram li-
cuit, cura Christianæ Doctrinæ præceptis & bonis
artibus imburus fuit. Ubi prius privatá, tum ipsius
Parentis venerati, tum Domesticorum Informatorum
instituzione usus. Postea Anno 1697. Licæum pa-
læo-Brandenburgensè frequentavit, & ibi Doctorem
Virorum, nimirum Domini *Hannibal*, Archi-Diaconi,
Domini *Salpii*, Rectoris, Domini *Williami*, Con-Recto-
ris, & Domini *M. Sutholdi*, Sub-Rectoris, lectionibus
tam publicis, quam privatis fideliter instructus, insi-
gnem inde Doctrinæ fructum, per tres annos hausit,
usque

usque dum dicto Lycaeo, data occasione ad certos ar-
nos, quasdam exterarum Regiones & Provincias invisen-
di, valedixit. Quo itinere peracto Berolinum Anno
1704. petiit, ubi per anni spatium humaniora ulterius
tractavit, donec Anno 1705. ad Academiam Vitember-
gensis se contulerit, & ibi Pro-Rectore Magnifico
Domino *Hornio*, Jcto celeberrimo, in Album Studio-
forum Mens. Octobr. relatus fuerit. Hac in Academia,
tam in Philosophia, quam Jure Naturæ, ut & amplissi-
mo Jurisprudentiæ Civilis & Canoniciæ Campo, Vi-
ros doctrinæ ac prudentiæ celebritate longè latèque
famigeratissimos, Dominos *Bergerum*, *Hornium*, *Grieb-
nerum*, *Brendelium*, in tertium annum, nec non dein-
ceps in Academia Lipsiensi, ubi Mense Majo 1708. nu-
mero Civium Academicorum inscriptus, publicè &
privatim Magnificum Dn. D. *Luderm* *Menckenium*, Fa-
cultatis Jurid. Lipsi. Ordinarium dignissimum, & ejus
Filium, Dn. D. *Godofredum Ludovicum Menckenium*,
nunc Professore Publicum Vitembergensem cele-
berrimum, nec non Dn. *Schreiterum*, Syndicum dictæ
Universitatis meritissimum, jam p. defunctum, non
tam Antecessores habuit, quam Patronos ac Fautores,
quibus Viris Illustribus atque Excellentissimis ob pro-
fectas in se non vulgares Affectionis ac benevolentia
propensiones perpetuæ gratitudinis vinculo se obstri-
ctum, lubentissimè fateretur. Postea Amplissimus Se-
natus Lipsiensis eum Expeditioni Literarum paten-
tium, pro illius temporis necessitate adjunxit, cui per
unius tantum anni spatium & paucos Menses præfuit,
porro cum eidem Vices Actuarii apud Commissionem Re-
giam Merseburgi habitam demanderentur, hoc officio
per

per aliquod tempus functus fuit, usque dum se ad causas in foro perorandas applicaret. Et cum hoc ab Illustrissimo Regimine Regio Dresdeni, post exhibitum testimonium Examinationis ab inelyta Facultate Vitembergensi datum, clementissimè ei concessum fuisset, Practicum Utriusque Juris in Electoratu Saxoniae hucusque per XI. annos, & quidem Leisnigkii, ubi Anno 1713. in uxorem, Johannam Julianam, Domini Joannis Georgii Gregorii, Syndici illius Civitatis meritisimi, jam p. defuncti, filiam charissimam duxit, novem annis, reliquo tempore autem Dresdæ, ubi & adhuc per DEI gratiam vitam agit, causas egit. Tandem nos accessit, & in numerum Candidatorum nostrorum & ad consuetum Doctorandorum examen admitti decenter petiit, in quo textus ex utroque jure doctè adeò resolvit, & ad quæstiones propositas ita respondit, ut unanimi consensu ad ulteriora progymnasnata edenda admissus sit. Proinde proximâ die sabbathi horis consuetis lectionem cursoriam *ad dict. L. si quando. Cod. si major fact.* eâque finitâ disputationem inauguralem *de eo quod justum est circa Restitutionem fructuum quoad eum qui vicit in possessorio, sed postea succubuit in petitorio,* habebit. Quibus actibus solemnibus, ut Magnificus Dn. Pro-Rector, nec non Domini Proceres & Cives Academici interesse velint, decenter invitantur. Publicatum sub sigillo Facultatis Jurid. 17. Maji 1723.

(L. S.)

Erfurt, Diss., 1723

X 2386946


ULB Halle

007 436 556

3







Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

1723,9

2
10

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
O. PHILIPPUS
Streit / I.V.D.

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS
MOGUNTINI CONSILIARIUS
REGIMINIS

L. B. S.

ERFORDIÆ,
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.